


Programm



Jahresbericht

über das

Großherzogliche

Karl Friedrichs-Gymnasium

zu Eisenach

von Ostern 1855 bis Ostern 1856


erstattet

von

dem Direktor

Dr. Karl Hermann Funkhänel,

Großherzogl. Sächs. Hofrath und Ritter des Ordens vom weißen Falken 1. Abth.




Voran steht

Willh. Weissenborni ad Carolum Wexium, Virum Clarissimum, de locis aliquot Livii epistola.

Eisenach, 1856.

Gedruckt in der privilegirten Buchdruckerei daselbst.



Introduction

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
1950

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

The University of Chicago is a private, non-profit institution of higher learning. It was founded in 1837 and is one of the oldest and largest universities in the United States. The university is known for its commitment to academic excellence and its diverse student body. It offers a wide range of undergraduate and graduate programs in various fields of study. The university is also known for its research and its contributions to the advancement of knowledge in many areas. The University of Chicago is a member of the Association of American Universities and is ranked among the top universities in the world. It is a place where students can receive a world-class education and where faculty members can pursue their research interests. The university is a place of intellectual freedom and where students are encouraged to think critically and to challenge the status quo. The University of Chicago is a place where the past meets the future and where the best of both worlds can be found.



FRIDERICO CAROLO WEXIO

Viro Clarissimo

Wilh. Weissenborn

S. D.

Quamquam non dubito, quin si non indignaturus certe admiraturus sis, Vir Clarissime, quod ad Te ego, quocum nulla unquam ratio aut consuetudo Tibi intercesserit, has literas dederim: tamen rem ipsam, de qua scripturus sum, excusationem aliquam habituram, et ne molestius feras, quod Te gravioribus rebus intentum interpellem, effecturam esse non despero. Nam cum Livium in tironum potissimum usum explicandum suscepissem, et quos in hoc interpretationis genere sequerer duces circumspicerem, editione Agricolae scholasticae institutionis causa adornata Tu mihi exemplar proposuisse videbaris, quod intuerer et imitarer; Promulsidem autem Tuam emendationum Livianarum commentationesque et commentarios, quibus pari doctrinae elegantia atque ingenii acumine cum alios scriptores veteres tum Tacitum illustrasti et emendasti permulta etiam Livium edituro utilissima suppeditare intelligebam. Ad id cum accederet, quod nuper duo Livii volumina a me in lucem emissa labore mihi gratiore et utiliore quam Tibi perscrutatus in censura Iahnii Annalibus Vol. LXX p. 455 sqq. inserta consilium meum et operam non improbasti, et quae vitanda aut rectius constituenda essent docuisti, non aegre Te laturum sperabam, si hac scribendi occasione oblata ita uterer, ut et gratum me Tuique studii non immemorem significarem, et Tua auctoritate ad rem operosam fortiter cautiusque persequendam erectum et animo confirmatum esse profiterer, et quae Tibi reprehendendi causas dederunt retractarem meaque cum Tuis conferrem et quam possem integerrimo subicerem iudicio. Qua comparatione instituta quae alicuius momenti esse putabam apud Te ipsum, Vir Doctissime, exponere visum est, quem et peritissimum iudicem esse scirem, et, qui est animi Tui candor et cum veri cognoscendi studio coniuncta humanitas, aequissimum fore sperarem.

Atque quod in universa interpretationis ratione res me potius quam verba explicasse et in eo peccasse significas, ne ego quidem negaverim, cum in rerum scriptore res non negligendas esse putarem, easque facilius a tironibus omitti et difficilius libros unde cognosci possunt parari viderem, et quod statueram, id quod a plerisque interpretibus praetermissum videbam, ex iis, quae post Niebuhrum a doctissimis viris de historia atque institutis Romanorum indagata et explorata sunt, si quae idonea et utilia viderentur, ad Livium illustrandum adhibenda esse, ut fit in re nova, interdum me modum excessisse. In tanta autem rerum varietate et multitudine acutissimorumque hominum dissensionibus, et in ipsius Livii haud paucis locis brevitate et obscuritate novoque necdum satis explorato dicendi genere, incerta denique codicum auctoritate si suo quaque loco aptissima protulisse et ab erroribus ubique mihi satis cavisse prae me ferrem, me ipse arrogantiae accusarem. Quare maximam ex Tua censura me cepisse utilitatem libenter profiteor, pluribusque locis, si occasio data erit, Tua consilia secutum quae minus recte constituta aut explicata sunt emendare decrevisse. Ita in praefat. §. 3 in obscuro est scripsisse me paenitet, cum et ipse olim in obscuro sit probavissem, cf. Iahnii Annal. Vol. 35. p. 364; et 4, 29, 6, de quo loco recte Te iudicasse ex similibus, velut 8, 18, 2: illud peruelim (nec omnes autores sunt) proditum falso all. intelligitur, Buttmani auctoritatem, qui ad Quintil. 12, 6, 2 Drakenborchii rationem probaverat, esse secutum, immemorem iam Handium in Tursell. V. IV, p. 139, 9. meliora docuisse. Etiam 5, 3, 5: quid illos etc. rectius explicasti, et §. 6 mihi dicendum erat opus quaerunt esse: sic suchen Arbeit,

suchen sich etwas zu schaffen zu machen. Quae et alia quo lubentius Tibi accepta refero, Vir Eruditissime, eo minus timeo, ne si quae aliis quibusdam locis difficilioribus plerisque et in quibus multum desudarint interpretes, exposuisti non ab omni parte certa mihi videri aperte declaravero, et hac occasione data, quod per commentarii angustias non licebat, quas probavi singulorum locorum explicationes defendero, mea me magis quam vera adamasse et temeraria quadam contradicendi cupiditate impulsam a Tua sententia discessisse suspicaris.

Ac primum quae de loco 5, 12, 7: hoc statu militarium rerum seditio intestina maiore mole coorta quam bella tractabantur adnotavi, Tibi displicuerunt. Ibi enim cum verba maiore mole aliquam difficultatem habere Ant. Perizonius sensisset et ad 5, 8, 2 ad v. tractabantur referenda esse dixisset, reliquique interpretes aut cum secuti essent aut nihil ad expediendam rem afferrent, non posse ea a v. coorta sciungi ratus, tamen etiam ad tractabantur pertinere et hic curam et studium, illic periculum significare putabam. Tu dicis me vulgares interpretes (die gewöhnlichen Uebersetzer) secutum esse; meum autem fuisse eos meliora docere. Eorum igitur, cum ante neglexissem, libros, qui mihi ad manus sunt, evolvi. Et Heusinger quidem interpretatus est: brach ein Aufstand im Innern aus, der mit grösserer Heftigkeit als die Kriege betrieben wurde; Ostertag: kaempfte einheimische Zwietracht mit grösserer Anstrengung als die Armee gegen den Feind; Kläiber: als der innerliche Zwiespalt mit grösserer Kraft ausbrach, als womit die Kriege betrieben wurden. Vides Heusingerum Perizonii sententiam probare, omnes unam v. molis significationem tenere; me autem, si erravi, solum errasse. Non nego, quod Tu dicis, et seditionem et bella molem creavisse illamque maiorem fuisse, et hanc ob causam in adnotatione quam quanta adscripsi; pronomen enim, quod multis locis non additur, cf. 5, 49, 5 (ibi haud maiore momento ne nunc quidem dubito quin idem fere sit, quod 24, 34, 2 levi momento, 8, 19, 8 per levi momento dicitur, cf. Fabri ad 21, 43, 11); 43, 23, 1; 26, 29, 11; 35, 20, 6; 3, 50, 2 all., Fabr. ad Sall. l. 63, 5; Herzog. ad Caes. C. 2, 4, pluribusque a F. Gronovio damnatur; in adverbis, quae et ipsa Tu attigisti, cf. 34, 7, 3; ib. 24, 2 all., ne potest quidem locum habere, n. l. omissum non offendere posse censebam, et Tu quoque, si recte Tuam sententiam percepi, intelligis. Itaque cum de verborum constructione constare videatur, quae vis v. molis sit quaerendum est. Ea autem voce rem magnam et amplam sed haud raro aut vim et vehementiam, quae in ipsa re inest, aut laborem studiumque et difficultatem, quam aliis parat, ita significari, ut a magnitudinis notione sciungi non possint, ut Tu ad Tac. Agric. p. 274 in v. itineris viae et agminis notiones coaluisse docuisti, nemo facile negaverit, qui locos a Fabio ad Liv. 21, 22, 9; 24, 34, 2 collectos comparaverit. Ita, ut paucos adponam, 1, 38, 5: maiore inde animo pacis opera inchoata, quam quanta mole gesserat bella; 2, 16, 2: maiore inde mole Sabini bellum parant, cf. Drak. ad 25, 11, 18, magnitudinem et laborem atque studium, contra 1, 9, 5: tantam in medio crescentem molem sibi ac posteris suis metuebant; 6, 14, 1: maior domi exorta moles coegit acciri Romam cum gliscente in dies seditione rei magnitudinem et vehementiam atque periculum, cf. Müttzell ad Curt. 3, 1, 5, illo vocabulo indicari ex verbis additis videtur apparere. Iam cum mole alia seditio oriatur, alia bella tractentur, et illa quo maior eo sit periculosior, haec quo maiore apparatu opus est, eo maiorem et laborem habeat et curam requirat, non dubitavi, quin Livius non omnia magnitudinis notione simul et vim periculumque seditionis, et studium curamque, quibus bella non ita magno successu, ut ante dictum est, gesta tractata sint, una illa voce significare voluerit. Idque eo facilius fieri poterat, quod, ut Tu quoque concedis, in utroque commate magnitudo est spectanda, quae non minus in una re bis cogitanda quam si duae res componuntur, videtur comparari posse. Tu quidem locum ita interpretandum censes: es brach ein Aufruhr im Inneren aus, der auf dem Staate noch drückender lastete, als die Kriege, in denen man begriffen war. Quod num his verbis quae a Livio scripta sunt dici perspicue potuerit, mihi quidem dubium videtur. Crederem inesse, si civitatem vix sustinuisse, aut molem in cervicibus fuisse, aut si onus potius quam moles, quae quo modo differant, a Te ad Agric. p. 91 expositum est, legeremus: sed neque civitatem oppressam et vexatam esse comme-

moratur, et si v. intestina in urbe seditionem exortam esse indicatum est, tamen vv. maiore mole ad coorta addita non tam civitatis condicionem quam ipsius seditionis vim et periculum describi videntur docere. Quod autem in v. tractabantur inesse vis, num omnino conveniat iis, quae ad Agric. p. 34 praecepisti, cf. Mützell. ad Curt. 4, 42, 29. Tu ipse facilius videris: mihi quidem eo potissimum consilio Livius hoc vocabulo usus videtur, ut diuturna bella non sine magno labore et cura sustineri potuisse intelligeretur. Ceterum unius vocabuli significationes alias ad alia verba adiecta aut alias verborum constructiones retulisse interdum veteres scriptores cum ab aliis est animadversum, cf. Drakenb. ad. 2, 30, 13; Kritz. ad Sall. l. 85, 34; interpret. ad Iustin. 3, 1, 9 all., tum a Te ad Agric. c. 31: potuere; c. 33: obtinemus comprobatum; cf. Liv. 27, 5, 14: ut non expectanda comitia consuli censerent, sed dictatorem — dici; 10, 32, 2: tres exercitus, uno Etruriam altero populationes Campaniae repeti; 9, 32, 8; ib. 24, 10; 10, 13, 6; 4, 40, 3; Sall. l. 54, 2: Iugurtha ubi gentium aut quid agigaret; Curt. 6, 43, 31: cum ipsis quoque hastis os oculosque eius everberarent, all. Quamquam autem saepius ad unum verbum duo nomina referuntur, tamen etiam ad duo verba aut duo unius verbi obiecta unum nomen non eadem significatione interdum additur, cf. 4, 58, 9: modo duo praesidia occisa et cum periculo retineri, ubi v. occisa impedit, quominus, ut Tu ad Agric. p. 274 statuisti, loci militumque notiones coaluisse credamus, sed ad praedicatum occisa militum praesidia, ad retineri loca cogitanda esse probabilis est; 9, 14, 14: duces sicut belli ita supplicii futuros fuisse, et cum alii poetae tum Homerus, si Faehsius recte ll. 8, 282 explicavit, ea brevitate usi sunt, qua n. l. Livium locutum esse si non certum, tamen verisimile est. Omnino autem haud paucos locos illo modo potius explicandos putaverim, quam ut ex verbo posito alterum repetatur, neque dubito, quin Handius (Lehrbuch des latein. Stils p. 423) illud genus orationis artioribus finibus circumscripserit.

Non attuli locum 2, 30, 4: ut imperium suo vehemens mansueto permetteretur ingenio, qui huc pertineret, si non coniectura ita esset constitutus, neque praef. 4: res est praeterea immensi operis, ut quae supra septingentesimum annum repetatur, et quae ab exiguis profecta initiis eo creverit, ut iam magnitudine laboret sua, ubi alios secutus in priore sententia historiam in altera rempublicam Romanam intelligi putabam. Quam rationem Tu ita reicis, ut aut in his quoque verbis: et quae laboret sua subiectum esse historiam, aut totam hanc sententiam delendam censeas. At dubito an neutrum fieri possit aut debeat. Nam omnia illa verba ut spuria eicere nescio an audacius sit, cum et in omnibus codicibus legantur, et iam Porphyronis aetate lecta sint, qui ad Horat. Epod. 16, 2: suis et ipsa Roma viribus ruit haec adnotavit: hoc est quod Titus Livius ait: „ut iam magnitudine laboret sua“, et ipsa sententiarum ratione requiri videantur. Apertum enim est propter duas causas dici rem immensi operis esse, et propter diuturnitatem civitatis et propter rerum, quibus ad tantam magnitudinem crevit, multitudinem. Iam patet ne longissimi quidem temporis, si rebus magnis vacuum est, velut exigui oppidi historiam, rem esse immensi operis posse dici; ut alterum, quod Livius addidit, desiderari nequeat. Quod autem vv. et quae locum suspectum reddere, et aut quae aut et scribendum fuisse censes, nescio an plures loci, ubi aut perspicuitatis aut maioris momenti causa utrumque positum videmus in suspensionem vocandi sint, ut Cic. Verr. ll., 1, 51, 134: Rabonius, qui legem nosset et qui non putaret, ad Herenn. 1, 7, 11: vitiosum quod — et quod; Fin. 5, 13, 36: animi partis, quae princeps est, quaeque mens nominatur Top. 2, 6; Rep. 1, 31, 47 all. Alterum autem, ut illa sententia ad historiam referatur, propterea fieri non potest, quod, etsi recte diceretur exiguis profecta initiis una cum civitate crevisse historia, tamen illa tantum non historia magnitudine sua potest laborare. Itaque nescio an ita sit statuendum. Cum Livius causas, quibus deterreri potuerit, quominus res populi Romani scriberet, enumerare instituisset, et primam multitudinem et nobilitatem scriptorum esse posuisset, illis verbis addit alteram, rei ipsius difficultatem et ingentem laborem. Iam res, quam immensi operis esse iudicat, ipsa quidem est historia, quae sine

maximo studio summaque contentione perscribi non possit, sed causa difficultatis in magnitudine rerum exponendarum inest, i. e. in magnitudine reipublicae Romanae. Eam igitur et immensum laborem creare dixit, et verbis ut quae-laboret sua illustravit, v. res autem initio posuit, ne, si post immensi operis legeretur, id quod praecedit: res populi R. perscribere pro subiecto, immensi op. res pro praedicato haberetur, ut 26, 5, 14 nec magni certaminis rem fore; 25, 41, 8; 21, 19, 2; 22, 14, 15, sed ipsum v. res pro subiecto esset. Conferri cum n. l. potest Cic. Rep. 3, 12, 21: noster hic populus, quem Africanus hesterno sermone a stirpe repetivit, cuius imperio iam orbis terrae tenetur; si quis autem v. res historiam simul cum historiae argumento significari statuit, in promptu est Tac. Hist. 1, 2: opus ingredior-atrox proeliis, discors seditionibus etc.

Comparativi usus alium locum mihi in mentem revocat, in quo explicando me a vero aberrasse statuis. Nam quae 5, 39, 4 leguntur: Romani, cum pars maior ex acie Veios petisset quam Romam, nemo superesse quemquam praeter eos qui Romam refugerant crederent, complorati omnes pariter vivi mortuique totam prope urbem lamentis impleverunt, ea F. Gronovius secutus ita intelligi vis, ut Romani sint illi, qui ad Aliam pugnaverint, eosque fecisse putas, ut urbs lamentis impleretur. Neque ego negaverim, si illa verba sola per se spectes, nec cures, quomodo cum superioribus coniuncta sint, facilius ea ratione quam Tu probasti posse explicari: quamquam ne sic quidem omnes difficultates tolluntur, si quidem vix credi potest Livium uno tenore et refugisse aliquos ex acie in urbem et non comploratos esse, et omnes qui in acie steterint comploratos urbem luctu implevisse. Sed vix poteris locum explicare, nisi quae antecedunt comparantur. In quibus cum Livius de Gallorum ad Anienem adventu exposuisset et extremo loco addidisset: exploratoribus missis circa moenia, quaecumque hostibus in perdita re consilia essent, num probabile est eum ita sententias compositurum fuisse: haec quidem Gallorum erant facta et consilia: Romani, qui ad Aliam pugnaverant, totam urbem luctu impleverunt; ac non probabilius, quae Perizonii est sententia, cum modo dixisset exploratores missos esse ad Romanorum consilia cognoscenda et iam de statu Romanorum expositurus esset, eos qui Romae essent Romanos i. e. civitatem Romanam, intelligi et Gallis opponere voluisse? Quod quo modo res ipsa fere cogat, praeter ceteros Büttner docet, qui cum et ipse Gronovii rationem probet, tamen hoc modo in *Observ.* Liv. p. 34 sententiarum nexum exponit: Galli—consecderunt missis qui—explorarent. In urbe quidem homines nulla re nisi luctu occupati erant etc. Itaque invitum id probat quod impugnat. Atque civitatem Romanam potius quam ad Aliam fugatos Livium intellexisse ex eo etiam videtur apparere, quod si Romani pars maior coniungi voluisset, nescio an petissent, ut recte Alschefsk. observavit, dicturus fuerit; nemo crederet autem, si nemo non referendum esset ad v. Romani, quod ad eiusmodi vocabula nisi aliunde pluralis accedit, non facile verbum plurali numero addit, cf. 38, 26, 7: obruit aciem Gallorum; nec aut procurrere quisquam-audebant; 9, 44, 2: neuter consulum potuerant; Fabr. ad. 24, 20, 14; ut 3, 40, 10 num recte scribatur: nemo—fecerint, iure dubitetur. Non sine haesitatione aliqua hoc argumentum attuli, cum Te censere videam eam ipsam ob causam, quod v. Romani ii significentur, qui in pugna fuerint, non debere vulgatam lectionem crederet mutari. Sed prius quaerendum est, num vulgata satis certa sit, quam quid Livius senserit inde colligi potest. Iam vero tantum non omnes edd. et inter eos optimi, Paris. Vormae. Medic. Leid. l. Harl. l. Einsiedl. all. crederent, perpauci et quibus nihil fere tribuendum sit crederet habent, ut nisi his testibus parum idoneis quam laepletissimus uti malis, crederent probare debeas, quod ad v. Romani referri Livium voluisse, ut supra dixi, et per se probabile est, et quod, nisi hoc fieret, non pateret, qui essent illi, qui non crederent, cum antea cives Romani togati non essent commemorati. Itaque cum omnia eo ducant, ut Romanos Gallis oppositos civitatem Rom. esse statuamus, impleverunt autem ad complorati additum ad eos tantum pertinere possit, qui Veios fugerunt, nisi v. complorati-mortuique, id quod Loewe V. D. suasit, parenthesis esse statuis, in qua nihil displicere possit, nisi quod iis, ad quae est referenda, non subiungitur; tua lenissima mutatione, quod Heerwagen probat, dicere et scribendum esse, nihil restat, nisi ut Livium ab

instituta sententia et constructione paulum deflexisse credas. Qui cum non sine causa, ut iam de Romanorum statu expositionem sequi intelligeretur, v. Romani initio posuisset, ad eos transiit, quorum casibus ut tam miserabilis esset civitatis condicio effectum est, et ad eos praedicatum, quod ad v. Romani erat referendum, accomodavit, eoque facilius a priore subiecto discedere poterat, quod plura erant interposita. Ex his autem quae interiecta sunt illa: cum pars — crederet *ἐκ παραλλήλων*, de quo orationis genere Tu doctissime ad Agricol. p. 48 sqq. disseruisti, posita sunt, quamquam pars maior — Romam causa sunt eorum quae sequuntur: nemo — crederent. Quare, nisi maiorem vim in v. Romani inesse Livius voluisset, nescio an ita scripturus fuerit: cum Romani, quod pars maior Veios petiverat quam Romam, nullos superesse crederent praeter eos, qui Romam fugerant, omnes (qui in urbem non redierant) complorati — impleverunt. Non raro autem veteres scriptores ab inchoata structura ita discessisse, ut propiora potius quam remotiora respicerent, non est quod multis doceam, cf. 4, 4, 1: nullane res — multa enim non sunt facta —, ea ne si utilia quidem sunt, fieri oportet? 23, 3, 1; 38, 44, 5: signa — de iis — placere; Fabri. ad 21, 3, 1; Kritz. ad Sall. l. 66, 2; 90, 1 all. Eo decurrendum esse ut statuatur impleverunt, quod v. complorati subiunctum est, aliqua ratione etiam ad Romanos, qui luctu urbem impleverint, referri posse, non crediderim.

Sed non solum sententiae explicatio verum etiam id Tibi displicuit, quod vv. quam Romam, quae cum prioribus editoribus et otiosa et molesta visa essent, ab Alschefskio demum restituta sunt, sine sententiae damno abesse posse, sed ex copia verborum, qua totus ille locus redundat, aliquam excusationem habere adnotavi. Tu contra quod pars maior non maior pars scriptum sit, etiam necesse esse censes particulam comparativam adici. Non sum eorum immemor, quae in Agricol. editione p. 74. praecepisti; sed totus hic locus de adiectivorum collocatione, ubi alii aliorum sententias evertunt, velut Handius (Lehrb. des lat. Stils p. 312; 322) improbat ea, quae Koenius docuit, ipse acerrimum adversarium nactus est Stürenburgium ad Cic. p. Arch. p. 35; 42; 78; alia Mützell. praecipit, alia alii, tam lubricus est, ut summa cautione opus esse videatur. Ego vero non nego, quod ad nostrum locum pertinet, in maiore numero (die Mehrzahl, Maiorität) significando Latinos dicere esse solitos maior pars; ita enim in legibus et senatusconsultis velut in leg. Servil. c. 18; 19; 24; in leg. municip. Malac. c. 57; 59; 61; 62 all.; ita cum apud alios scriptores tum apud Livium legitur. Et a Livio quidem de hominibus, in quibus solis illa significatio locum habere potest, his fere locis scriptum est, 3, 6, 8: patrum maior pars; 22, 43, 9: maioris partis sententia; 26, 14, 2; 38, 3, 3; 39, 32, 10; 40, 29, 13; 21, 4, 1: maior pars meliorem vicit; 34, 3, 5; 27, 9, 1; 22, 40, 5; 24, 16, 4: m. p. equitum; 27, 44, 8; 31, 40, 8; 37, 10, 5; 38, 2, 2; ib. 16, 6; 41, 2, 8: pauci — maior pars, — deinde plures, postremo omnes; 42, 50, 4; 44, 42, 8; de rebus legitur 3, 44, 10: maior pars iniuriae; 10, 12, 5; 22, 29, 7: diei; 21, 30, 5: itineris; 31, 1, 7: Asiae; 32, 28, 5; 6; 42, 30, 8: anni; 38, 9, 4: temporis; 41, 20, 6: pecuniae; 44, 14, 8: victoriae. Sed par fere est numerus locorum, ubi pars maior scriptum est, cf. 1, 32, 12: quandoque pars maior eorum, qui aderant etc.; 9, 46, 7: tribunorum partis maioris; 23, 6, 4: plebes ac p. m. senatus; 30, 3, 6; 38, 44, 11; 1, 14, 7: parte maiore perditum; 26, 17, 11: postquam pars maior (ita est in optt. cdd.) emissa exercitus est; 27, 48, 9; 34, 47, 6; 38, 27, 2; 44, 5, 12; haec de hominibus, de rebus 4, 43, 8: pars maior insequentis anni; 7, 19, 8: curae; 9, 13, 5: praedae; 10, 17, 11: decoris; 23, 18, 10: hiemis; 36, 15, 8: Aetoliae. Iam patet omnibus iis locis, ubi pars maior senatus, tribunorum all. dicitur, non minus quam ubi maior pars est scriptum, maiorem numerum intelligi, nisi quod magis insolitus verborum ordo lectorem magis attentum facit, et v. maior paulo plus ponderis videtur habere. Nullo autem loco neque ubi maior pars neque ubi pars maior legitur particula quam subiuncta est, ut de necessitate eam ponendi, ubi pars maior est, constare nullo modo possit, librarii et priores editores iure videantur n. l. in vv. quam Romam offendisse, eoque magis quod et facile intelliguntur, et statim Romam sequitur. Paucos tantum inveni locos, ubi quam est adiectum, sed quibus omnibus maior

praepositum et multo additum est, cf. 5, 38, 5: ut multo maior pars Veios — quam recto itinere Romam — fugerent; 4, 11, 4: multo maiore parte Rutulorum quam Romanorum scripta; 42, 8, 1: maiorem multo partem civium amissam quam superesse. Quae si recte sunt dicta, et si alios comparativos sive praepositi sunt substantivo sive subiecti particula comparativa et sequi et omitti potest, iusta causa non videtur esse, cur non ut maior pars ita etiam pars maior non subiuncta part. quam dici potuerit. Non raro autem Latinos, quamquam in quibusdam dictionibus adiectivum priorem aut posteriorem locum obtinet, alterum tamen ordinem interdum probasse, et Livium potissimum in hac re liberius esse versatum multis exemplis doceri potest, ex quibus pauca, non quod Te ea fugisse putem, Vir Doctissime, sed quod ad Livii usum dicendi videntur pertinere, adscribam. Ita plerumque pro virili parte dicunt, Livius etiam pro parte virili cf. Drak. 3, 71, 8; plerumque aes alienum, sed 7, 21, 5 alieni aeris legitur, eodem modo habes 39, 17, 7: maximos sacerdotes; 10, 16, 6 all. Romanum populum; 3, 63, 6 Martium campum; saepissime maiores hostiae dicuntur, sed hostiae maiores 30, 38, 9; 36, 21, 9; 40, 53, 4 all., utrumque 21, 62, 7; 10: hostiaeque maiores — caesae; maiores hostiae caesae; ita Hispania ulterior 35, 41; 39, 38; 40, 3; 50 all.; ulterior Hisp. 37, 57 all.; utrumque 36, 2, 6; 8: Hispania ulterior — in ulteriorem Hispaniam; minor frater scriptum est 45, 11, 2; 6; minor Fabia 6, 34, 6; sed Tullia minor 1, 47, 1; 39, 53, 16 legitur filio maiori; 40, 11, 7: frater maior; ib. 21, 6: quoniam maiorem filium secum duceret, minorem — remissurum; sacer mons est 2, 33, 3 all., sed 3, 52, 3: mons sacer, cf. ad 2, 32, 2; Obbarium in Philolog. vol. VIII. p. 717 sqq. all. Interdum non ita multis interpositis eadem verba immutato ordine repetivisse ex ll. allatis apparet, quibus adde 1, 38, 3; 7; bello Sabino — Sabino bello; 27, 27, 13: gestae rei (ita optimi edd. habent) ordinem — rei gestae interfuerit; 23, 44, 6; 8; utraque pars — ex parte utraque; 42, 30; pars — pars altera — tertia pars — parte dimidia; 45, 30: pars prima — secunda p. — tertia regio all. Quare dubito, num 21, 21, 6; 9, ubi primo vere et vere primo legitur, ut Tibi placet ad Agr. p. 85, crdo verborum altero loco mutandus sit, praesertim cum etiam alibi inveniat, cf. 32, 6, 1: vere primo — travectus; 10, 25, 11: vere inde primo, ut luce prima 39, 30, 5; 44, 37, 12 all.: quamquam talia non sine causa mutari nemo facile negaverit, et satis intelligitur ex 1, 3, 3, ubi longa Alba tum Alba longa est scriptum. Idem pertinet etiam ad magna pars et pars magna; illud etsi frequentius est, cf. Heerwagen. ad 21, 13, 6; Mützell. ad Curt. p. 302, tamen etiam hoc legitur, cf. 3, 57, 9; 5, 14, 5; 10, 5, 10; 21, 5, 15; ib. 27, 9; 24, 32, 2; 27, 48, 16; 42, 7, 7. Quodsi Tu magnam partem aequae ac maiorem partem esse putas maiorem numerum, nescio an hoc ad eos tantum locos pertineat, ubi ex oppositis intelligitur plures significari, ut 36, 41, 2: magna pars — unus; 1, 9, 11: magna p. — quasdam; 36, 19, 10; magna pars — quingentos; 5, 45, 3; 25, 24, 2: m. p. — paucos; 37, 57, 2; cf. 42, 7, 7; ib. 47, 4; 9. Ita etiam 22, 6, 5: magnae partis ad plures pertinere inde intelligitur, quod §. 8 sex milia opponitur; vv. pars magna multos indicari res ipsa declarat. Sed eodem modo quo magna pars interdum etiam pars magna de pluribus dicitur, cf. 21, 27, 9: equorum pars magna — praeter eos, 24, 32, 2; et 38, 27, 7 pars magna, ut Bamb. all. edd. habent, plures sunt, sed §. 8 magna p. minor numerus videtur esse. Pluribus autem locis utrum maior numerus an multi v. magna p. et pars m. indicentur non constat, aliis ne possunt quidem de maiore numero dicta esse, cf. 5, 32, 8; ib. 40, 4; 6, 21, 6; 7, 31, 1 all. Denique si maxima pars de maiore numero usurpari doces, nemo sane repugnabit. Atque Livius plerumque ita loquitur, sed interdum etiam alterum ordinem habet, cf. 5, 8, 12: perpauca — pars maxima; 5, 29, 4; 6, 13, 7; 24, 39, 1; 27, 12, 5; 29, 30, 6; 30, 9, 6; ib. 18, 14; 35, 11, 9; 39, 2, 3; ib. 49, 10; item de rebus 5, 19, 8: praeda cuius pars maxima; 30, 3, 9; 30, 18, 14: pars multo maxima.

Ditius Te in uno loco retinui, Vir Doctissime, quod cavendum putabam, ne in ea re usus loquendi artioribus, quam veteres ipsi voluerunt, limitibus coerceretur; de reliquis pauca addam. Atque 5, 2, 4:

iuventutem iam ne hiemi quidem aut anni tempore cedere ac domos ac res invisere suas optimos edd. secutus scripsi, et particulam aut ita explicavi, ut pro aut omnino positam putarem. Tu quaeris, quodnam tempus anni praeter hiemem hic commemorari potuerit. Id quidem ipsa v. aut explicatione significatum credebam. Nam cum paulo ante Livius dixisset: remotam in perpetuum et ablegatam ab urbe et ab republica iuventutem, iam pergere poterat: nulli tempore anni, ne hiemi quidem cedere; sed ut hiemem potissimum, per quam tum primum sub pellibus habebantur, militibus, qui antea per paucos menses aestivos bellissent, maiorem partem anni agros suos coluissent, ingratam esse intelligeretur, sententia inversa et hiemem primum commemoravit et ne — quidem addidit. Eadem sententia saepius in hac oratione legitur, cf. §. 11: quos hieme saltem in domos — reduci oporteat, et aliquo tempore anni parentes — invisere, c. 6, 2; 5; 10, 8 all., et particulam aut eo quo dixi modo intelligi posse negari vix potest, cf. 1, 18, 5: nec denique patrum aut civium; 32, 20, 7: ne fremitum quidem aut murmur all. Quod Tu quamvis facili et speciosa coniectura legendum putas, ne hieme quidem aut, nescio an propterea aliquam offensionem habeat, quod ita Livius dixisset: ne hieme quidem hiemi iuventutem cessisse. In sequentibus, quamquam haud raro Livius ac saepius repetivit, cf. praeter locos a me allatos 22, 48, 4; 44, 32, 4; tamen non intercedo, quominus aut domos, quod etiam vir doctus in ed. Curionis suasit, legatur, rarius enim per particulam ac ad negativam sententiam alia (de singulis verbis non dubitatur) adiungitur; nisi nec domos potius est scribendum, cf. ad 22, 60, 12; 40, 25, 6.

Etiam aliis locis leniores hoc genus coniecturas, quas in prima potissimum decade maxime probandas esse iure Mauritius Haupt statuit, aut ipse fecisti aut commendasti, meque reprehendis quod Kreyssigium, qui multa hoc modo emendaverit, neque secutus sim neque in praefatione laudaverim. Sed quod commemorationem viri praestantissimi requiris, cum aliis locis tum in praefatione editionis Teubnerianae optime eum de Livio meruisse praedicavi, illo autem quo Tu eum nominari voluisti loco minus aptum videbatur, quod interpretes, quos potissimum secutus essem, non criticos commemorare statueram; et Kreyssigius ipse adeo se non neglectum putabat, ut usque ad finem vitae mihi amicissimus fuerit. In coniecturis autem, quas ab eo factas dicis, nescio an idem Tibi quod Niebuhrus *Histor. Rom.* III. p. 95 acciderit, ut Kreyssigio tribueres, quod, si viveret, sibi potius quam autoribus adsignari deprecaturus foret. Nam et 3, 44, 8 ut Tu vis et Kreyssigium fecisse dicis a F. Gronovio verba distincta sunt, et utra ratio praefenda sit, dubium esse potest; et locum a Te ad 2, 50, 11 ex Aurelio Vict. c. 14 allatum Kreyssigius in Epistola ad Goellerum data p. 485 Perizonio (*Animadverss. hist.* p. 195 ed. Harless) acceptum se referre professus est. Quod autem 4, 3, 7: et perinde hoc valet, plebeiusne consul fiat, tamquam servum aut libertinum aliquis consulem futurum dicat, ab eo emendatum dicis, iam in edit. Lugdunensi a. 1553 ita editum esse Drakenb. testatur, in prioribus edd., Tarvis. Aesc. Ald. Frobb. Mog. all. plebeius ne est scriptum, quod F. Gronov., Bekker all. probaverunt. Cum codicum, qui h. l. plebeius ne aut plebeius nec, aut plebeius non habent, quae recte Drak. non potuisse scribi sentit, nisi librarii in exemplaribus quibus utebantur seiunctam particulam legissent, perexigua in tali re sit auctoritas, sententiarum potius ratio est spectanda. Atque Canuleius cum questus esset propter rogationes de conubio et de consulatu promulgatas a patriciis fere vim sibi illatam esse, ut iniuria plebei consulatum denegari probet, primum §. 7 vv. si populo — summi honoris quid a plebeis petatur accuratius definit, deinde vv. stare — futurum dicat quid patricii sibi opponant, tum §. 8 haec quae patricii proferunt ut refellat, quam indigna sint plebe exponit. Qui sententiarum ordo, si vv. plebeiusne etc. ita, ut Tibi placet, explicantur: wenn man äussert, „soll nicht ein Plebeier Consul werden können“, ist das etc. vide ne perturbetur, cum et plebis sententia patriciorum conviciis immisceatur, et id quod orator vv. eequid etc. reiecturus est praecipitur. Deinde cum particula ne non praedicato subiungatur, aut Canuleius aut plebes, cuius Tu interrogationem esse putas, hoc significare videri possit, se indignari aut admirari, vel, si vis, nolle plebeicum consulem fieri, cf. *Hand. Turs.* IV. p. 81 sq. Quare, si est interrogatio,

non potest nisi patriciorum esse cum indignatione et admiratione rogantium: quid? plebeiusne consul fiat? Ita tria sunt quae rogationi opponunt: stare urbem non posse, actum esse de imperio, plebeium non minus quam servum consulem fore abominandum, cf. 6, 40, 11. Quam sententiam si in vv. illis inesse concedis, non multum interest, utrum ne interrogativam au prohibitivam particulam habeas, cum Gronovius, qui ad illa vv. adposuit „scribe ne, est enim quasi lex“, nihil aliud nisi indignationem patriciorum significari voluerit. De reliquis loci difficultatibus nihil dicam, nisi hoc, proinde potius legendum videri quam perinde, et quod in ed. Paris. postinde scriptum est, et quod non facile perinde — tamquam invenitur, proinde tamquam in simili loco Gellii 15, 29, 2: hoc proinde est, tamquam si ego dicam aliquid habet praesidii.

Duos locos Tuis coniecturis sanare instituisti, primum 5, 13, 13: nec ita multo post iam palantes velut forte oblatores Capenatis agri reliquias pugnae absumere. Improbas quod ad v. oblatores intelligendum esse putavi hostibus, et offerri de praeda, neque vero de persequentibus dici censes. Sed latius patere huius vocabuli vim docet Donatus ad Ter. Hec. 3, 3, 10: offerri dicuntur tam bona quam mala, si insperata obiciantur aspectibus; et ii loci, ubi nulla praedae est significatio, velut 2, 23, 12: patres, quos casus obtulerat; 5, 15, 4; 9, 31, 7: transfugae — pars forte pars consilio oblatores; 42, 66, 7: phalanx — captivorum agmini oblatores; all. Ut his locis oblatores est dictum, ita nescio an praedatores fugientibus oblatores dici poterint. Tu quidem oblatores substitui iubes, et locum ita interpretaris: Marodeurs, die umherschweiften unter dem Scheine als wären sie zufällig vom Heere getrennt (versprengt), vernichteten etc. In qua coniectura et interpretatione non de omnibus mihi constare aperte dicendum puto. Et primum quidem oblatores ita explicas, ac si auferri idem sit quod ab exercitu auferri, quod cum antea de exercitu nihil dictum sit num fieri queat, vehementer dubito, neque prius aut auferri hoc significare, aut velut idem valere quod simulantibus vel ac si essent crediderim, quam certis testimoniis erit comprobatum. Dubium etiam videtur, num praedatores, cum additum sit: Capenatis agri, id esse possit, quod nos vocabulo generalis significationis „Marodeurs“ dicimus; particula iam autem iure omittatur, qua adiecta satis indicatur palantes, sive fusi hostes sive victores intelliguntur, eosdem esse, de quibus ante est expositum, non alios qui casu supervenerint. Propter quas causas consultius puto a codicum lectione oblatores non discedere, et si quid vitii est, in v. palantes potius videtur esse quaerendum. Nam populatores Capenatis agri non verisimile est fuisse milites de exercitu Veios obsidente, qui non sine periculo opera et munimenta sua fuerint relicturi, sed illo anno ut superiore et insequentibus annis, cf. c. 12, 5; 14, 7; 16, 3, ab urbe alium exercitum ad Capenam atque Faliscum agrum populandum esse missum, eumque tum in fugientes hostes incidisse. Quod si verum est, palantes propter particulam iam cum Crevierio ad Faliscos est referendum. Sed hac ratione ut hoc participium apte ad superiora: refugientes, repulsos adiungitur, ita offendere potest longius remotum reliquias pugnae, et si nonnullis locis per epexegem quaedam ad alia remotiora adiecta sunt, velut 1, 56, 9: per ambages; 2, 42, 10: publice — consulti; 9, 33, 6: potestatem all., tamen n. l. et maior esset licentia, et palantes ne recte quidem ad reliquias belli referretur. Quare nescio an aut palantibus aut palatis sit scribendum, quod oblatores adiectum videtur requirere: verba autem veluti forte, in quibus olim velut in tuto forte latere putabam, ita explicari possint, ut forte eodem modo dictum sit quo all. locis forte fortuna, de quo Donat. ad Terent. Hec. 3, 3, 26 haec habet: fortuna in incerto, forte fortuna in bono ducitur, cf. Liv. 1, 4, 4.

Deinde attingisti locum conelamatum 5, 18, 2: qui priusquam renuntiarentur, iure vocatis tribubus — verba fecit. Ubi cum omnia, quae de vv. iure voc. trib. exposui, eo spectarent, ut probarem tribus ab h. l. alienas esse, et ad Peteri sententiam (Epochen der Verfassungsgesch. der röm. Republik p. 49; 54; 203) pertinerent, (ubi quod Tu me scripsisse dicis iure vocatis [centuriis] pro abl. absol. habenda esse docuerim, non invenio); Tu censes hoc modo viam loci recte explicandi mihi ipsum praeclusisse, et tamen, in quo offenderam, v. tribubus reicis, et hoc solum difficultates parere

eoque deleto, ut Goettlingius et Muhlert all. deletum voluerunt, omnia sana esse censes. Deinde iure vocatis, quae pro una notione habenda esse Peter l. l. p. 202 demonstravit, dativum esse statuis. Quod cum etiam F. Gronovius, tantum quod tribubus servabat, sensisset, Duker haec opposuit: „adsentire Gronovio, si ostendisset verbo renuntiare hac in re casum tertium addi. Nunc *ἐπιχω*, donec invenero“. Neque tamen eo minus reliqui interpretes, Crev. Stroth. all. Gronovium secuti sunt, sed nemo locum, quo Dukeri dubitatio tolleretur, attulit. Poterant quidem duos Ciceronis locos, de imp. Pomp. 1, 2, et pro Sull. 22, 91: renuntiatus cunctis centuriis laudare, sed alienos a n. l. videntur habuisse, quod ibi non de praerogativa suffragiis sed de eventu comitiorum agitur. Neque tamen negaverim eo quo Tu dicis consilio reliquis centuriis quos praerogativa designaverat renuntiatos esse, cum Festus s. v. praerogativae p. 249 et Ascon. ad Verr. 1, 9 hoc factum esse testentur: sed non satis patet, quid hoc ad id tempus pertineat, de quo n. l. expositum est. Tum enim, ut ex l. l. 10, 15, 7; ib. 22, 1 intelligitur, non una erat praerogativa sed plures, equitum centuriae, quas primo vocatae sequebantur; postea demum mutata centuriarum comitiorum ratione una praerogativa sorte ducebatur plurimumque valebat, et iure vocatae commemorantur. Quod institutum cum sola coniectura in priorem aetatem audacius transferri videatur, et aliis ll. ubi interrupta esse comitia traduntur, ii qui iam tulerunt suffragia revocentur, cf. 24, 7; 45, 36, ne nunc quidem dubito, quin non solum tribubus ab hoc loco alienum, sed etiam quae antecedunt renuntiarentur iure vocatis turbata sint, recteque Mommsenium revocatis scribendum esse iudicaverit, quamquam revocatis iis malim quam iis revocatis. Si probabile esset Livium ipsum errasse, suspicari posses scribendum esse: renunciarentur, evocatis tribubus sc. e saeptis, in quae iam introvocatae erant, cum ex vv. refici apparebat non solam primam sed reliquas etiam tribus suffragium ferre coepisse, intelligatur.

Addam paucos locos, in quibus explicandis ut acumen Tuum admiror, Vir Doctissime, ita non omnes scrupulos mihi exemptos esse non possum quin ingenue profitear. Atque 5, 25, 7: quod eius ante conceptum votum etc. putas esse quod ante Camilli votum etc. Sed ita locus praepositionis offendit, et quod non potest nisi relativum esse; nam quae senatusconsultis praefigi solent: quod verba fecit, si haec intellexisti, diversa sunt; et nescio an Livius scripturus fuerit: ante conceptum ab eo votum. Is cum ante dixisset urbis et agri capti, eoque retulerit ea disceptatio i. e. earum rerum d., nescio an etiam v. eius pertinere voluerit ad agrum urbemque. Neque desunt similes ll. cf. 38, 34, 3: quae pecunia capta ablata est — quod eius; 31, 4, 2, alii a Strothio allati, quibus adde plebisc. de Therm. quae Thermensium — sunt — quod eius non abalienarunt; leg. Thor. c. 10: ager locus — quod eius agri loci; ib. c. 20; 36 all. Deinde ut post votum ita etiam ante votum sine genetivo intelligendum videtur; nec, cum hoc notum esset, addendum erat a quo conceptum esset, sed, quae erat Romanorum diligentia, definiendum, quid voto contineretur, ne quid eius, quod aut Veientium non fuisset aut populi Romani non esset factum, decuma Apollini sacra ut esset decerneretur. — Locum difficilem 5, 7, 7: pedestris ordinis se aiunt nunc esse ita expediri posse censes, si vis v. ordinis intendatur, ut haec sit sententia: bisher gab es nur ein Reitercorps, welches sich berufen fühlte, für das Vaterland bewaffnet einzutreten. Jetzt bildeten sie auch ein Corps, und wollten als ordo pedestris ebenso wie der ordo equestris, dem Waffendienste für's Vaterland sich weihen. In quibus non satis perspicio, quomodo vocabulum obscurius, quamvis maximum pondus accesserit, eo magis illustretur, et dubito, num pedestris ordinis se esse idem sit, quod pedestrem ordinem se esse. Quamquam autem Livius equestrem ordinem ante Gracchorum aetatem saepius dixit, cf. Becker Antiquitt. Rom. 2, 1, 266 sqq., tamen nescio an numquam ita ea voce usus sit, ut significaret id quod vernaculo sermone Reitercorps vocamus, neque hoc pati videtur usus loquendi, de quo Tu ipse ad Agric. p. 113 recte exposuisti, cum neque senatorius neque alius ordo tali modo dicatur. Et quamquam equitum centuriae in pace quoque conveniebant, legiones tantum ad bella conscribebantur, nihilo tamen minus pedites pariter atque equites ad patriam defendendam semper parati esse debebant; et si illi pedestris ordo nominari possunt,

